

IX.

Brief Abt's Andreas von St. Peter an Felician, Bischof von Scala, worin des „Langen Hof“ und „Fraungarten“ so wie eines „Seminarium Studiorum“ Erwähnung geschieht.

Aus dem Stiftsarchiv von St. Peter. Mitgetheilt von P. Amand Jung.

*Ad D. Felicianum, Episcopum Scalensem
jam Monachii degentem.*

Reverendissime in Christo Pater, Domine clementissime, omni semper observantia mihi colende! Accepimus litteras nuper, unas per Reverendum Episcopum Chiemensem, alteras per praesentem famulum a tua Reverendissima Dominatione mihi transmissas, ex quibus favorabilem salutationem, propensum gratiosumque animum erga me meosque non sine gaudio intellexi; praecipue vero, cum adverterem, Reverendissimam Dominationem tuam unacum suis peractis illis durissimis in Helvetia et aliis locis negotiis, salvum et incolunem Monachium rediisse. Ceterum indumenta illa pellicea contra vehementiam frigoris, ut Reverendissima Dominatio tua petiit, Valisio inclusa, ac famulo praefato transferenda commisi, tertium vero apud me retinui. Novorum, quod Reverendissimam Dominationem tuam lateret, scitu dignum nihil habeo nisi quod opus illud jam multis annis agitatum de aedificando futuro *Seminario studiorum* acriter ferueat. Empta enim ad hoc est, quod forte Reverendissima Dominatio tua non ignorat, domus illa *Marei Lang* nobilis nuper defuncti, retro Parochiam S. Mariae Virginis, optima sane commoditas, sed mihi meoque Monasterio non admodum in hoc loco grata propter pomarium finitimum vulgariter *Faungarten* dictum. Timeo enim, ne ob vicinitatem dictus hortus successu temporis detrimentum patiatur, quemamodum jam in principio fieri apparet. Nam Decanus hic noster tamquam Architectus praetacti operis ordinarius (quod Reverendissimae tuae Dominationi non sine stomacho signifco) sine omni praescitu et concordi tractatione, quam prius nobiscum et Conventu nostro haberi oportebat, lapidicina in horto illo (quem Majores et Praedecessores nostri ad utilitatem ac decorem Coenobii semper coluerunt

et ab invasione adjacentium Civium summo studio et auxilio Archiepiscoporum hucusque custodierunt) erexit, ac operarios, qui pro integra aedificatione Collegii in pariete seu latere montis ibidem in hortum praeeminentis lapides caedere ac praeparare debent, conduxit, quod sane sine damno et devastatione horti fieri nequit; licet ad supplicationem nostram factam Reverendissimus Archiepiscopus noster Salzburgensis*) nobis promiserit se omne damnum, quod inde Monasterium nostrum capiet nobis resarcire, ac ut iste labor jam instanti hyemali et glaciali tempore perficiatur, demandare velle, tamen timendum, ne haec res nostro Monasterio praejudicium et ad alias nostras immunitates minuendas ingressum paritura sit. Sed ego et Conventuales mei hanc innovationem (cum ea in utilitatem Ecclesiae et reaedificationem Religionis Catholicae jam undique periclitantis, quam nos Ecclesiastici fovere tenemur, cedat) patienter feremus et quidvis aliud, quod aequum est, libenter contribuemus, modo non ulterior in talem nostrum fundum machinetur irruptio. Hoc Reverendissimae Dominationi tuae ideo hic obiter insinuare volui, ut intelligeret, me ob id ferme incurrisse indignationem Archiepiscopi mei Salzburgensis. Sed jam laus Deo, omnia inter nos sunt composita et in vero intellectu constituta. Deus optimus maximus muret sua gratia tam laudabile opus, et perficiat illud benigniter. His me, meumque Conventum, ac reliquos domesticos, quos Reverendissima Dominatio tua benigna salute impertivit, humiliter commendo. Dominum Ioannem Bapt., Fratrem vestrum, dilectum amicum meum singularem, una mecum Iudex ac Secretarius meus, plurimum salvere jubent ac felicem huc redditum exoptant.

Datae Salisburgi 15. Decembris anno 579 (id. d. e. 1579.)

Reverendissimae Dominationis tuae

humilis et promptus.

Andreas, Abbas immeritus
ad S. Petri. ibidem.

*) Johann Jakob Kühn = Belash.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Mitt\(h\)eilungen der Gesellschaft für Salzburger Landeskunde](#)

Jahr/Year: 1863

Band/Volume: [3](#)

Autor(en)/Author(s): Jung P. Amand

Artikel/Article: [Brief Abt's Andreas von St. Peter an Felician, Bischof von Scala, worin des "Langen Hof" und "Fraungarten" so wie eines "Seminarium Studiorum" Erwähnung geschieht. 284-285](#)